ARA EXEQVIALIS,

BEATIS MANIBUS

SPECTABILIS ATQVE CONSULTISSIMI

DOMINI

CHRISTIANI LACHMANNI,

De Republica Thoruniensi Secretarii bene meriti,

Die 13. Januarii An. Ep. Chr. M. DCCVI. pie demortui,

Et die 17. p. m. in Templo Mariano honorifice sepulti,

erecta

à

COLLEGIO PROFESSORIO GYMN. THORUNIENSIS.

THORUNII,

Excudebat Johannes Conradus Rügerus, Nobiliss. Senatûs & Gymnasii Typographus.

LAus & fama fuit ſecreti magna laboris,
Qvem fidus fido credidit uſqvè Viro.
Qvandoqvidem ſolus par haud eſt tollere damnum,
Si ſe participem non facit ipſe mali.
Urbes ſi, vel regna premant mala fata, fatendum eſt,
Communi in damno viribus eſſe locum;
Hinc alios videas magno ſudare labore,
Ut tollant damnum conſiliisqvè levent.
Aſt alii ſcribunt tabulis conſulta Senatus,
Qveis à {Secretis / Cancellis} nomen & omen ineſt.
Horum non vilis, ſed ſplendida gloria perſtat,
Horum laus & honor non moritura virent.
Ex horum numero fuerat *Lachmannus*, acerbo
Funere qvi raptus dat mihi triſte Vale!
Noverat hunc Aſtræa, è pleno vellere Phryxi
Texuerat ſertum dextera clara Dices.
Lachmannus bis ter Muſarum ipſiſſima Muſa,
Et Charitis triplicis delicioſa Charis.
Pruſſica qvem tellus maturè plorat ademptum,
Qvem noſtri Cives pectore & ore dolent.
Viſtulides ſcopulis currunt, & Druſides: antris
Dorades è madidis Naïadesqvè ruunt.
Sed nihil efficiunt lacrymæ planctusqvè dolorqvè,
Cum qvæ defluxit lympha redire neqvit.

Fal-

Fallacis ridet jam *Secretarius* orbis
Technas, ac animo gaudia mille gerit.
Incertos hominum casus perpende, Viator,
Qvi lustras oculis hæc monumenta tuis.
Non genio indulge, aut resipiscere differ in horas,
Qvo minime speres tempore, nullus eris.
Stemmata, divitias, ætatem, mentis acumen,
Si sapis, hæc morti cuncta subesse putes.

Honoris & amoris gratia amica manus
B. Secretario sacrabat

M. Martini Böhm.

Lipf. Centur. 2. Epistolarum Miscell. Epist. 99. *DEO parere, & velle, qvod ipse vult, summa non sapientia solum est, sed tranqvillitas & qvies.*

Nil sanctius prudentiusqve credimur
Egisse vel tulisse, qvàm si Numinis
Arbitrio sanctissimi regamur, &
Velimus illa, qvæ benignus vult DEUS.
Qvi sanctus atqve justus optimè omnia
Facit; licet molestiora sæpius
Putentur illis esse, qveis Christi jugum
Grave, & malum non ferre posse maximum
Malum est. Ab incunabulis doctus fuit
Portare Lachmannus jugum Christi, & DEO
Parere: qvi vix Matre cognitâ, neqve
In orbe viso Patre magnam pertulit

Pri-

Privignus & post orphanus molem mali.
Et qvanta ephebus, Virqve passus sit mala,
Testes erunt vel hic Amici plurimi:
Qvi morbidum mortiqve jamjam proximum
Visêre. Non contrarium tamen DEI
Sese voluntati futurum dixerat,
Sciens, qvòd hæc tranqvillitas sit optima
Qviesqve, velle, qvod DEUS vult optimus:
Jubente qvô nunqvam negavit ponere
Vitam, vel ire ad astra per tot aspera.
Ut Christianus esset omine, nomine.

L. p.

M. Martinus Bertleffius,
Prof. Publ. & Visit.

